DE INFINITIVO
APUD ORATORES ATTICOS
CUM ARTICULO CONIUNCTO,

SCRIPSIT

Dr. RICHARD WAGNER.

WISSENSCHAFTLICHE BEILAGE
ZUM
PROGRAMM DES GROSSHERZOGLICHEN GYMNASIUM FRIDERICIANUM ZU SCHWERIN
FÜR DAS SCHULJAHR 1884 BIS 1885.

1885. Progr. Nr. 589.

SCHWERIN 1885.
GEDRUCKT IN DER BÄRENSPRUNGSCHEN HOFBUCHDRUCKEREI.

De infinitivo apud oratores Atticos cum articulo coniuncto.

Scr. Dr. Richard Wagner.

Infinitivi apud oratores Atticos cum articulo coniuncti usum multi viri docti variis e causis in quaestionem vocaverunt, velut Siggius in disputatione quam de orationibus Apollodoreis composuit praeclarissima (Nov. Ann. suppl. 6 a. 1873, p. 397 sq.) multum valere eum ad quaestiones genuitatis orationum Demosthenicarum discernendas demonstravit, Stixius (Zum Gebrauch des Inf. mit Art. bei Demosthenes, Rottweil 1881) Demosthenis usum exemplis allatis explicavit, Rehdantzius quoque in indice editioni Philippicarum adiuncto nonnulla breviter attulit, alia passim in commentariis virorum doctorum dispersa invenies. Nuper vero Weiskins (Nov. Ann. vol. 126 a. 82 p. 494 sq. et 529 sq.) collectionem uberrimam exemplorum ex omnibus fere scriptoribus Atticis conquisitorum publicavit eo consilio, ut iis, qui artem grammaticam condituri essent, ansam daret huius structurae accuratius tractandae, ac nuperrime Goelkel (Beiträge zur Syntax d. Verbums u. z. Satzbildung bei d. Redner Antiphon, Passau 1883) de usu articuli verbis impediendi, vel deficiente vel accedente negatione μὴ, additi, acriter disseruit et regulam quandam constituit. Nec dubium mihi est, quin, si quis res singulas perscrutetur, multa etiam de infinitivi cum articulo coniuncti usu inventurus sit, e quibus ars grammatica fructum capiat. Sed etiam alia ex parte mihi videtur haec structura in quaestionem vocari posse. Constat Demosthenem praeter ceteros oratores eam in deliciis habuisse nec solum saepius sed etiam liberius atque audacius ea usum esse. Quod quamquam saepius animadversum est, tamen nemo adhuc accuratius Demosthenis usum cum ceteris oratoribus comparavit. Quod munus cum susciperem videbam in huius structurae usu tanquam in speculo et uniuscuiusque oratoris indolem ac dicendi genus et totius eloquentiae progressum conspici posse. Itaque mihi proposui, ut quaererem, quomodo infinitivi cum articulo coniuncti usus et cum singulorum oratorum genere dicendi et cum

eloquentiae progressu coniunctus atque connexus esset. Tria autem mihi videntur in hac quaestione animadvertenda esse, primum, quotiens singuli oratores infinitivo cum articulo coniuncto usi sint, alterum, quomodo enuntiata infinitivorum ab articulo dependentia formaverint, tertium, qua arte hanc structuram ad periodos fingendas usurpaverint. Hoc quoque quaerendum erit, num sint inter oratores, qui diversis aetatibus vitae vel diversis in orationum generibus diversas rationes secuti sint. Aequum autem videtur, a Thucydidis orationibus proficisci, quippe qui primus inter Atticos infinitivum frequentius cum articulo coniunxerit.

In exemplis numerandis sic egi, ut complures infinitivos coordinatos, si articulus repetitur, singulatim, sin deest, pro uno exemplo numeraverim. Exclusi autem ea exempla, quae notioni adverbii proxime accedunt, velut *τὸ νῦν εἶναι* similia, nec minus omisi in computatione eas orationes, quas constat non genuinas esse, in hac re Blassii iudicium secutus excepta una or. Dem. 29, quam inter orationes rhetorum posui, prooemia quoque Demostheni adscripta omisi. Comparationem autem Siggii exemplum secutus in paragraphos redegi atque tabella quae sequitur propono, in qua, quem prima columna apposui numerum, exemplorum summam, quem altera, paragraphorum summam significat, tertius numerus denotat, in quot paragraphos singula cadant exempla.

	num. exempl.	§§.	comparatio.		num. exempl.	§§.	comparatio.
Thucydides	134	676	5	Isaeus	37	521	14
Antiphon	38	295	8	Demosthenes	832	2672	3
Andocides	16	219	13	Lycurgus	26	150	6
Lysias	38	970	25	Aeschines	61	640	10
Isocrates	288	2064	7—8	Dinarchus	33	162	5

Ad Thucydidem minus bene quadrat haec comparatio, nam cum paragraphi apud oratores omnes eiusdem fere ambitus sint, apud illum dimidio fere sunt minores. Itaque numerum paragraphorum dimidio minorem si in computationem inducimus, in binas vel ternas paragraphos singula exempla cadunt. In narratione Thucydidis multo rariora sunt exempla, accuratius ea non numeravi. Hyperidis, in quo deest paragraphorum divisio, orationes, ni fallor, pares sunt ambitu circiter centum paragraphis. Quod si verum est, non rarius Demosthene infinitivum cum anticulo coniunxit, nam undequadraginta exempla usurpavit.

Isocrates et Demosthenes autem diversis aetatibus diversam rationem secuti sunt. Atque eloquentiae Isocratis duae aetates tanquam per se ipsae evadunt, prior, qua causis forensibus operam dedit, altera, qua totum se convertit in genus demonstrativum. Sed cum ultimas orationes demonstrativas usu inf. c. a. c. a primis maxime discrepare viderem, alteram aetatem iterum in duas partes divisi, quas ad discernendas spatium quod interest inter or. 9 et or. 6. aptissimum mihi videbatur. Atque in orationibus sex forensibus, quae nobis traditae sunt, 269 §§ non plus quinque exempla exstant, in or. 21., quae tempore ceteras antecedere videtur, nullum, in ceteris singula. Ad alteram quam statuimus aetatem referendae sunt or. 13, 11, 10, 4, 14, 2, 9, 3,

epist. prima, in quibus inveniuntur 602 §§ 72 exempla, i. e. octonis paragraphis singula. Tertia aetas complectitur or. 6, 8, 7, 15, 5, 12, epistolas quoque praeter primam huic aetati asserui. Exstant autem 211 exempla 1193 §§, i. e. circiter senis paragraphis singula exempla.

Demosthenis quoque orationes, quas adolesceus scripsit, a posterioribus segregandae sunt, sed etiam inter has discernendae sunt eae, quae ad causas privatas spectant, ab orationibus vel iudicialibus vel deliberativis publice habitis. Referendae autem sunt ad eius adolescentiam orationes sine dubio genuinae 27, 28, 30, 31, quae continent 146 §§ 23 exempla i. e. septenis paragraphis singula. Quibus si adnumeramus or. 42 et 55, quae exemplis carent, et orationem addubitatam 51, quae septem exempla continet, in octonas paragraphos singula exempla cadunt. Posteriores autem orationes privatae 103 exempla 393 §§ praebent, i. e. quarta quaque paragrapho singula exempla. Iam vero orationes publicae 2046 §§ 699 exempla continent, i. e. tertia quaque paragrapho singula. Eas quoque orationes, quae falso Demostheni tribuuntur, paucis tangamus, refert enim scire, utrum hac in re Demosthenis usum sequantur necne. Discrimen autem statuendum est inter eas, quae a rhetoribus confictae, et eas, quae ab illius aequalibus quibusdam compositae sunt. Nam rhetores eloquentiae Demosthenis quam optimam effigiem exprimere conantes infinitivi quoque usum illius imitati sunt, atque continent or. 10, 11, 13, 25, 26, 29, 60, 61 a rhetoribus confictae 416 §§ 133 exempla, i. e. tertia quaque paragrapho singula. Ceterarum orationum suppositiciarum primo loco affero Hegesippi *ὑπὲρ Ἁλοννήσου*, qui uno loco inf. c. a. c. usurpavit, et or. 17, quae 8 continet exempla; Apollodoreae, quae dicuntur, a Siggio iam perquisitae sunt, qui cum in numerandis exemplis minus diligenter egerit, veniam peto quod corrigo. Insunt enim non viginti quattuor quod dicit, sed quadraginta quattuor exempla, (or. 52 nullum, or. 53 sex, or. 49 et 50 quina, or. 47 novem, or. 46 tria, or. 59 sedecim) ita ut denis paragraphis singula exempla inveniantur. Ceterae, si omnes in unum complectimur, 601 §§ 93 exempla i. e. senis fere paragraphis singula continent.

Videmus saepissime inf. c. a. c. usurpari a Thucydide, Demosthene rhetoribusque eius simiis, Hyperide, non multo iis cedere Dinarchum, dimidio fere rariorem esse apud Lycurgum et Isocratem tertia aetate, rarius etiam inveniri apud Isocratem altera aetate et Antiphontem, superari ab his Aeschinem, ab Aeschine Andocidem, ab Andocide Isaeum, a ceteris omnibus Lysiam et Isocratem prima aetate. Atqui constat morem articuli infinitivo addendi inde ab Antiphontis et Thucydidis temporibus usque ad Demosthenis aetatem paullatim increbruisse, ita ut priores illi multis locis, quibus posteriores ponerent articulum, omitterent. cf. Antiph. 3, *β*, 9 *ἀπολύεται ἀποκτείνειν* pro *τοῦ ἀποκτείνειν*, et, 6, 15 *αἰτία ἀποθανεῖν* pro *τοῦ ἀποθανεῖν*. (cf. Goelkel l. l. p. 16, qui plura affert.) Itaque si quis artem grammaticam solam spectabit, opinabitur, quod dicit Goelkelius de Antiphonte, apud priores rariora omnino esse exempla quam apud posteriores. Quodsi plura inveniuntur, causa sine dubio inde repetenda est, quod Thucydidis et Antiphontis indoli ac naturae magis arrisit haec structura quam Lysiae ceteris. Et infinitivi c. a. c. usum frequentiorem non sermonis cotidiani, sed orationis ornatae ac tanquam elatae esse quis erit qui neget? Itaque si quis ornatius, si grandius et elatius dicebat, inf. c. a. c. aliis structuris praeferebat, sin simpliciter et attenuate et sermoni cotidiano propius, vitabat. Inde apparet, cur Antiphon maximeque Thucydides structuram tum etiam inusitatam tantopere adamaverint, quippe quorum dicendi genus grande et cothurno tanquam supra ora vulgi incedens verba trita, structu-

uras solitas repudiet, inusitata consilio quodam captet. Inde patet, cur Andocides, qui orationem ad sermonem cotidianum hominum eruditorum ac politorum revocavit, ab illo usu crebro deflexerit, Lysias vero longius etiam recesserit, cuius cum summa virtus ea fuerit, ut orationem ingeniis et moribus eorum, qui dicturi essent, quam artissime adaptaret, omnia vitabat, quae usus cotidianus respuebat. Quo factum est, ut pleraeque eius orationes omnino infinitivis c. a. c. careant. Una vero or. 31 mirum quantum a ceteris discrepat, nam 34 §§ non minus undecim exempla inf. c. a, c. continet *). Quod optime congruit cum totius orationis indole a ceteris Lysianis tantopere diversa, ut gravissima sit suspicio, num iure Lysiae tribuatur. Defendunt eam viri docti, cum dicunt consilio Lysiam, ut exprimeret ingenium eius cui scripsit, hunc colorem ei aspersisse. Quod sive verum est sive falsum, certe haec oratio optime comprobat, ex grandiore et ornatiore dicendi genere tanquam per se effici etiam crebriorem usum infinitivi c. a. c.

Quid? quod ipse Antiphon ea oratione, quae Blassii (I p. 195) iudicio, pompa illa sollemni dictionis et dura gravitate deposita, ad genus dicendi magis solutum et vividum transitum facit, inf. c. a. c. plane vitavit; quod fragmenta primae orationis Hyperideae incitato cursu provehentis dilacerata plura exempla inf. c. a. c. continent quam or. 2 et 3, melius conservatae, sed summissius scriptae. Sed nimis in res singulas inquirere temerarium est, quippe in quibus casus regat.

Conferas autem Demosthenis orationes, quarum quae ab adolescente scriptae sunt, cum totam eius eloquentiam tum huius structurae usum nascentem ostendunt, posteriorum unaquaeque testis est, quantum grandiloquentiae adiumentum sit infinitivi c. a. c. usus crebrior. Conferas Dinarchum semper vehementia quadam verborum incedentem et Lycurgum, oratorem summae gravitatis, cum his autem compara Aeschinem, qui venustate magis quam gravitate floret, et Isaeum, causidicum disertissimum, sed Lysiae quam Demostheni similiorem, quorum uterque rarius illis inf. c. a. c. usurpavit.

Aliud etiam nos docet Isocrates. Quod interest discrimen in infinitivi usu fere incredibile inter orationes eius forenses et demonstrativas, non tam ex Isocratis adolescentia explicandum est, quam ex generum diversa natura. Nam or. 13, quae usum posteriorum sequitur, verisimile est prius compositam esse quam or. 19, ultimam forensium (cf. Blass II, p. 215. et 17 sq.) Sed orationes demonstrativae multo uberiorem ornatum poscunt quam orationes in causis privatis habitae, ex quo evadit etiam usus articuli apud infinitivum frequentior. Aliud exemplum huius generis est Hyperidis or. 4, quae infinitivi c. a. c. usu primam etiam superat. Nec minus discrimen, quod est inter Demosthenis orationes privatas et publicas, ex natura structurae facile explicatur.

Perspicuum est autem non omnem usum infinitivi c. a. c. eodem modo abhorrere a sermone communi et dicendi genere tenui, velut praepositiones cum aliae tum *διά* c. acc. apud

---

*) Praepositio διὰ c. acc. a. Lysia alias bis (14, 18 et 17, 1) usurpata hac oratione quinque locis invenitur, atque interdum satis artificiose dicta, cf. § 5 διὰ τὸ ἀναγκαῖον σφίσιν αὐτοῖς ἡγεῖσθαι εἶναι μετέχειν τὸ μέρος τῶν δεινῶν et locos similes § 6 et 11. dativi quoque exemplum adest, cuius alias apud Lysiam nullum invenitur, cf. § 2; cf. etiam paronomasiam § 26 οὐ περὶ τοῦ βουλευέιν, ἀλλὰ περὶ τοῦ δουλεύειν. De quaestione genuitatis cf. Blass I, 482 et Frohberger, Ausgew. Reden d. Lys. III, p. 61. Mihi vix credibile videtur, or. Lysiae esse; quam si omittimus, or. Lysianae 27 exempla inf. c. a. c. continent, i. e. tricesima quarta quaque paragrapho singula.

omnes oratores in omnibus orationum generibus tam tritae sunt, ut iudicandum sit similia etiam in vita cotidiana pervulgata fuisse*). Certissime autem valet lex illa, quam statuimus, in usu nominativi. Summissae scilicet et simplicis orationis est dicere: *χαλεπόν ἐστι φυλάξαι τἀγαθά*, speciosius et exquisitius dictum: *χαλεπὸν (ἐστι) τὸ φυλάξαι τἀγαθά* vel *τὸ φυλάξαι τἀγαθὰ χαλεπόν (ἐστιν)*. Itaque nominativi usum apud Isocratem et Demosthenem, quorum comparatio fructuosior est quam ceterorum, paucis adumbremus.

Isocrates prima aetate semel nom usurpavit, altera duodeviginti locis (ex 72), tertia undetriginta locis (ex 211). Videmus tertia aetate nominativos multo minorem partem omnium exemplorum efficere quam altera. praepositionum vero usus mirum in modum auctus est, quarum tertia aetate nonaginta tribus, altera viginti quattuor locis exempla inveniuntur. Quod si ex Isocratis senectute et languescente eloquentia explico, non mihi videor credibilitatis modum excessisse. Nam rariores nominativi et frequentiores praepositiones cum infinitivis coniunctae documenta sunt non contemnenda, nervos deficere eius dictionem coepisse.

Demosthenes vero praeter ceteros nominativum infinitivi c. a. c. sibi arripuit. sed paullatim eius usum didicit. Nam orationum, quas adolescentiae eius adscripsimus, una or. 51 valde dubia duo eius exempla continet, atque etiam or. 54 et 22, quae posteriorum primum locum tenent, et or. 4, quae inter deliberativas prima est, nominativis carent; his exceptis nulla est eius oratio, in qua non complures nom. inf. c. a. c. inveniantur, atque omnes si complectimur, quinta fere pars omnium exemplorum nom. praebet. Atque hac etiam in re ut suppositicias orationes raptim perlustremur, discrimen est inter rhetorum commenta et orationes a Demosthenis aequalibus compositas. In illis triginta sex locis (ex 133) nominativi usurpantur, orationes Apollodoreae omnes carent nominativis praeter unam or. 53, quae tria exempla continet, ceterae inter nonaginta tria exempla duodecies nominativum praebent

Videmus, quam multa numerus ipse exemplorum inf c. a. c. nos docere possit, sed nunc iam formam enuntiatorum ab articulo dependentium consideremus.

Ac primum quidem facile cernitur, eos scriptores, qui origini structurae propiores erant, cautius eam adhibuisse, ita ut infinitivis cum articulo coniunctis aut nulla alia verba aut perpauca adderent, postea, cum magis increbruisset structura, vim articuli latius atque latius patere coepisse, postremo enuntiata maxime extensa ac multifariam divisa uni articulo subiungere licuisse. Sed etiam in his rebus indoles et dicendi genus singulorum permultum valet.

Thucydidem vidimus numero exemplorum infinitivi c. a. c. parem esse Demostheni atque adeo praestare, forma vero enuntiatorum longe ab eo superatur. Quod ad illustrandum ut unum afferam, apud Thucydidem numerus infinitivorum nudorum i. e. eorum, qui nullis aliis verbis

*) In Thucydidis orationibus quinta fere pars omnium locorum διά c. acc. praebet (23 ex 134), apud Antiphontem octo locis, apud Andocidem duobus, apud Isocratem viginti septem, apud Isaeum novem, apud Aeschinem quinque, apud Lycurgum et Hyperidem binis locis invenitur, deest casu quodam apud Dinarchum, de Lysia supra iam diximus. Notabile autem est, Demosthenem illud διά non plus quam viginti sex locis usurpasse, quae est omnium quae apud eum exstant exemplorum pars fere tricesima, ὑπέρ c. gen. autem triginta sex locis, i. e. saepius quam ullum alium. Quod nescio an ideo factum sit, quia tum illud διά nimis in vulgi consuetudinem venerat, ὑπέρ autem orationis elegantioris erat. Certe aequalibus illis, quorum orationes omni arte carentes falso in Demosthenicas se insinuaverunt, in deliciis fuit διά c. acc., cuius in orationibus Apollodoreis quattuordecim (ex quadraginta quattuor quae exstant), in ceteris duodecim exempla leguntur, cum ὑπέρ in omnibus his orationibus uno loco (34, 42) exstet. Demosthenis vero morem his etiam in minutiis rhetores expresserunt, quorum in orationibus διά c. acc. inf. c. a. c. semel, ὑπέρ c. gen. novies invenitur.

additis articulo subiuncti sunt, tertiam partem omnium exemplorum efficit, apud Demosthenem in septimam partem minutus est. Tamen ipse Thucydides haud ita raro enuntiata infinitivorum c. a. c. liberius atque audacius formavit quam nonnulli posteriorum sibi concesserunt. Haud paucis locis participia infinitivis addit, cf. 6, 34, 8*) *τὸ δ' ἤδη τὰς μετὰ φόβου παρασκευὰς ἀσφαλεστάτας νομίσαντας ὡς ἐπὶ κινδύνου πράσσειν κτά.*

1, 37, 2 *διὰ τὸ ἥκιστα ἐπὶ τοὺς πέλας ἐκπλέοντας μάλιστα τοὺς ἄλλους ἀνάγκῃ καταίροντας δέχεσθαι.* cf. etiam 1. 121, 4; 4, 18, 3; 126, 2; 6, 17, 2; 40, 1; 81, 1; 7, 12, 3.

ὡς c. part. exstat 6, 80, 1 *τὸ μηδετέροις δὴ ὡς καὶ ἀμφοτέρων ὄντας ξυμμάχους βοηθεῖν.*

Genetivus absolutus legitur 7, 68, 3 *τὸ δὲ πραξάντων ἐκ τοῦ εἰκότος ἃ βουλόμεθα τούσδε τε κολασθῆναι κτά.*

Nonnullis locis enuntiata relativa infinitivorum enuntiatis intexuit, cf 1, 70, 4; 6, 41, 2; 7, 67, 3. Sed hoc apud omnes usitatum, rarius vero alia enuntiata secundaria inseruntur, quod Thucydides non evitavit, cf. enunt. hypotheticum 6, 18, 3 *διὰ τὸ ἀρχθῆναι ἂν ὑφ' ἑτέρων αὐτοῖς κίνδυνον εἶναι, εἰ μὴ αὐτοὶ ἄλλων ἄρχοιμεν.*

ὡς c. ind. fut. 7, 12, 3. *διὰ τὸ ἀντιπάλους τῷ πλήθει καὶ ἔτι πλείους τὰς τῶν πολεμίων οὔσας ἀεὶ προσδοκίαν παρέχειν ὡς ἐπιπλεύσονται.*

Decem locis binos infinitivos interdum satis amplificatos singulis articuli formis subiunxit, cf. 6, 37, 2 *μέγα γὰρ τὸ καὶ αὐταῖς ταῖς ναυσὶ κούφαις τοσοῦτον πλοῦν δεῦρο κομισθῆναι, τήν τε ἄλλην παρασκευὴν ὅσην δεῖ ἐπὶ πόλιν τοσήνδε πορισθῆναι, οὐκ ὀλίγην οὖσαν.*

Affero ex ceteris unum etiam locum ideo notabilem, quod Thucydides alterum alteri infinitivo ab articulo dependenti subordinavit, cf. 1, 70, 5 *διὰ τὸ ἀεὶ κτᾶσθαι καὶ μήτε ἑορτὴν ἄλλο τι ἡγεῖσθαι ἢ τὸ τὰ δέοντα πρᾶξαι, ξυμφοράν τε οὐχ ἧσσον ἡσυχίαν ἀπράγμονα ἢ ἀσχολίαν ἐπίπονον.*

Thucydidis audaciam cum in aliis rebus tum in hac Antiphon non aequavit. Uno loco participium et enuntiatum relativum infinitivi enuntiato admiscet, cf. 5, 94 *τοῦ δὲ τούτοις πειθομένους ἐξεργάσασθαι ἃ οὗτοι βούλονται οὐκ ἔστιν ἴασις.*

Artificiosior est locus 5, 8 *ἕνεκά γε τοῦ πιστεύειν ἐμοί τε μηδὲν ἐξημαρτῆσθαι εἰς τόδε τὸ πρᾶγμα καὶ ὑμᾶς γνώσεσθαι τὰ δίκαια.*

Tribus locis singulis articuli formis binos infinitivos, sed nudos fere subordinavit, cf. 2, γ, 6 *τὸ μὲν ὀλῶναι καὶ ἀποφυγεῖν ἀμφοτέρας τὰς διώξεις κτά.* cf. etiam 3, γ, 10; 5, 91.

Apud Andocidem vero enuntiatum infinitivi c. a. c. nusquam paucorum verborum ambitum excedit, tribus locis participia inserit, cf. 1, 145 *τὸ ἁμαρτόντα πρᾶξαι καλῶς*, 2, 27 *τὸ δὲ δόντας ἐμοὶ τὴν ἄδειαν ἀφελέσθαι ὑμᾶς*, 3, 30 *ἀντὶ τοῦ μένοντας οἴκοι συμμάχους ἔχειν Συρακοσίους.* Enuntiatum infinitivi longissimum septem verborum est, cf. 1, 140 *τὸ δὲ τὰς γενομένας διαφορὰς πρὸς ἀλλήλους θέσθαι καλῶς κτά*, ceteri loci omnes simplicius etiam formati sunt.

Inter Lysiae exempla unus locus eminet, quo ab articulo dependent quattuor infinitivi, quorum unicuique aut enuntiatum secundarium aut acc. c. inf. subordinatur, cf. 4, 1 *Θαυμαστόν γε ὦ βουλὴ τὸ διαμάχεσθαι περὶ τούτου, ὡς οὐκ ἐγένοντο ἡμῖν διαλλαγαί, καὶ τὸ μὲν ζεῦγος καὶ τὰ ἀνδράποδα, καὶ ὅσα ἐξ ἀγροῦ κατὰ τὴν ἀντίδοσιν ἔλαβε, μὴ ἂν δύνασθαι ἀρνηθῆναι ὡς*

*) Paragraphi editionis Krügerianae sunt.

οὐκ ἀπέδωκε, φανερῶς δὲ περὶ πάντων διαλελυμένον ἀρνεῖσθαι τὰ περὶ τῆς ἀνθρώπου, μὴ κοινῇ ἡμᾶς χρῆσθαι συγχωρῆσαι.

Talia nemo priorum temptavit, sed etiam apud Lysiam locus singularis est. Transgreditur etiam brevitatem consuetam locus qui est in prooemio positus or. 1, 1 *Περὶ πολλοῦ ἂν ποιησαίμην, ὦ ἄνδρες, τὸ τοιούτους ὑμᾶς ἐμοὶ δικαστὰς περὶ τούτου τοῦ πράγματος γενέσθαι, οἷοίπερ ἂν ὑμῖν αὐτοῖς εἴητε τοιαῦτα πεπονθότες.*

Cetera exempla, exceptis iis, quae supra ex or. 31 attuli, paucorum verborum sunt.

Lysiae similis Isaeus est, qui, sive singulos, sive, quod quattuor locis fecit, binos infinitivos articulo subiungit, numquam supra tredecim verba enuntiata infinitivorum extendit, hunc quoque ambitum raro temptavit. cf. 10, 15 *Περὶ μὲν οὖν τοῦ τὸν κλῆρον εἶναι τῆς μητρὸς ἐξ ἀρχῆς καὶ ἀδίκως αὐτὴν ὑπὸ τούτων ἀπεστερῆσθαι κτλ.*

Cf. etiam 2, 20; 3, 75; 6, 4; 2, 13.

Apud Isocratem quae exstant exempla in orationibus forensibus perbrevia sunt, cf. 16 9 *ὑπὲρ τοῦ μηδὲ φεύγων μηδὲν ἐξαμαρτεῖν εἰς τὴν πόλιν.*

17, 1 *περὶ τοῦ μὴ δοκεῖν ἀδίκως τῶν ἀλλοτρίων ἐπιθυμεῖν.*

18, 63 *τοῦ παρ' ὑμῖν εὐδοκιμεῖν.*

19, 23 *τοῦ παρ' ἑτέροις μὲν μετοικεῖν, στέρεσθαι δὲ τῶν ἐμαυτοῦ.*

20, 3 *τὸ τύπτειν ἀλλήλους.*

Altera aetate enuntiata infinitivorum paullatim accrescunt. Ipsa oratio tertia decima, quod tanquam prooemium est orationum eius demonstrativarum, praeclarissimum exemplum enuntiati multifariam divisi praebet cf. 13, 16 *τὸ δὲ τούτων* (sc. *τῶν ἰδεῶν*) *ἐφ' ἑκάστῳ τῶν πραγμάτων ἃς δεῖ προελέσθαι καὶ μῖξαι πρὸς ἀλλήλας καὶ τάξαι κατὰ τρόπον, ἔτι δὲ τῶν καιρῶν μὴ διαμαρτεῖν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐνθυμήμασι πρεπόντως ὅλον τὸν λόγον καταποικῖλαι καὶ τοῖς ὀνόμασιν εὐρύθμως καὶ μουσικῶς εἰπεῖν, ταῦτα δὲ πολλῆς ἐπιμελείας δεῖσθαι κτλ.* Ambitum huius loci nullum aliud infinitivi c. a. c. exemplum apud Isocratem aequat, numerum vero sex infinitivorum uni articulo subiunctum neque apud Isocratem neque apud ceteros ullo alio loco invenies, atque optime illustrat huius structurae indolem, quod is orator, qui ornatum uberiorem in eloquentiam introduxit, ea oratione, quam primam ornatiorem composuit, et eo ipso loco, quo de ornatu dicendi disserit, non sine consilio, ut, quid ipse posset in dicendo, ostenderet, exemplum infinitivi c. a. c. artificiosissimum formavit.

Alii quoque loci artem provectam demonstrant, cf. or. 3, 14, quo loco quattuor infinitivi continuantur *τὸ διωρίσθαι περὶ τούτων καὶ μὴ τοὺς ἀνομοίους τῶν ὁμοίων τυγχάνειν, ἀλλὰ καὶ πράττειν καὶ τιμᾶσθαι κατὰ τὴν ἀξίαν ἑκάστους.*

Tres inveniuntur or. 11, 18 *ἔτι δὲ τὸ μηδένας τῶν ἀναγκαίων ἀποροῦντας τῶν κοινῶν προσταγμάτων ἀμελεῖν, μηδ' ἐπὶ ταῖς ἄλλαις τέχναις διατρίβειν, ἀλλὰ τοῖς ὅπλοις καὶ ταῖς στρατείαις τὸν νοῦν προσέχειν κτλ.*

Duo infinitivi participiis insertis valde amplificati leguntur or. 14, 55 *τὸ δὲ μηδεμίαν ἔχοντα καταφυγὴν ἀλλ' ἄπολιν γενόμενον καθ' ἑκάστην τὴν ἡμέραν κακοπαθεῖν καὶ τοὺς αὑτοῦ περιορᾶν, μὴ δυνάμενον ἐπαρκεῖν, τί δεῖ λέγειν ὅσον τὰς ἄλλας συμφορὰς ὑπερβέβληκεν.* Sed etiam hac aetate, qua Isocratis eloquentia ad summum fastigium ascenderat, infinitivo c. a. c. multo maiore cum moderatione usus est quam orationibus quas senex composuit. In Panegyrico quidem quae inveniuntur exempla, omnia minimo gyro circumscripta sunt, cf. § 30 *διὰ γὰρ τὸ πολλοὺς*

εἰρηκέναι καὶ πάντας ἀκηκοέναι et § 116 *ἀντὶ δὲ τοῦ πρὸς ἑτέρους περὶ τῆς χώρας πολεμεῖν*, qui loci ambitu ceteris paullo praestant. Contra conferas exempla ex Panathenaico sumpta, or. 12, 80 *ὑπὲρ τοῦ μὴ τὴν Ἑλλάδα πάσχειν ὑπὸ τῶν βαρβάρων μήτε τοιαῦτα μήθ᾽ οἷα πρότερον αὐτῇ συνέπεσε περὶ τὴν Πέλοπος μὲν ἁπάσης Πελοποννήσου κατάληψιν, Δαναοῦ δὲ τῆς πόλεως τῆς Ἀργείων, Κάδμου δὲ Θηβῶν.*

cf. etiam § 8, 21, 68, 252, quibus omnibus locis ex articulo singuli infinitivi dependent, proxime post articulum positi, sed interdum sequentibus participiis vel enuntiatis relativis, denique omni ratione tantopere onerati, ut oratio langueat et vestigia senectutis manifesta prae se ferat.

Duo infinitivi ex articulo dependent or. 12, 203, quo loco periodus hypothetica alteri infinitivo adiuncta est, (*αἴτιον*) *τοῦ μήτε καταλῦσαί με τὸν λόγον ἐφ᾽ ὧν ἐβουλήθην, ὑπολαβεῖν θ᾽ ὡς αἰσχρὸν ποιήσω καὶ δεινόν, εἰ παρὼν περιόψομαί τινα τῶν ἐμοὶ πεπλησιακότων πονηροῖς λόγοις χρώμενον.* cf. etiam 12, 45, 82, 147, 257, multos locos ceterarum orationum. Terni infinitivi singulis articuli formis subiuncti or. 12 non inveniuntur, sed cf. or. 8, 30 et 15, 262, quattuor vero coordinantur or. 6, 59, ita, ut a quarto rursus alius inf. c. a. c. dependeat: *τὸ καλῶς πολιτεύεσθαι καὶ σωφρόνως ζῆν καὶ μάχεσθαι τοῖς πολεμίοις ἐθέλειν καὶ μηδὲν οὕτω δεινὸν νομίζειν ὡς τὸ κακῶς ἀκούειν ὑπὸ τῶν πολιτῶν.*

Minime omnia haec exempla vituperanda sunt, sed multa apte et concinne dicta, hoc autem ex iis clarissime elucet, fusius illud dicendi genus, quod Isocrates senex adamaverit, etiam in infinitivi c. a. c. usu conspici.

Ad perfectionem vero usus infinitivi c. a. c. a Demosthene ductus est, sed is quoque initio caute egit. Nam inter locos, qui primis orationibus eius leguntur, perpauci fines paucorum verborum transgrediuntur. Redolet iam posteriorem Demosthenis audaciam locus, qui est or. 30, 26 *μετὰ τὸ γεγράφθαι παρὰ τῷ ἄρχοντι ταύτην τὴν γυναῖκ᾽ ἀπολελοιπυῖαν καὶ τὸ φάσκειν Ὀνήτορα ἀντὶ τῆς προικὸς ἀποτετιμῆσθαι τὸ χωρίον κτἁ.*

Sed is quoque permultis locis posterium orationum longe superatur. Ac primum quidem quaecunque ceteri in usu infinitivi c. a. c. sibi concesserunt, ea saepius atque audacius apud illum inveniuntur. Saepissime participia sive coniuncta sive absoluta infinitivis adiungit; saepius etiam quam ceteri infinitivo ex articulo dependenti alium infinitivum subiungit, velut *τὸ ἐθέλειν ἀκροᾶσθαι, τὸ εἰπεῖν κωλύειν, τὸ δοκεῖν εἰληφέναι, τὸ ἐᾶν στέρεσθαι* similia; ne hoc quidem vitavit ut alium infinitivum c. a. c. alius enuntiato intexeret cf. 21, 27 *τὸ τὸν παρόντα τρόπον τοῦ μὴ δοῦναι δίκην διακρουόμενον τὸν οὐκ ὄνθ᾽ ὡς ἔδει γενέσθαι λέγειν,* 18. 139 *καὶ τὸ μὲν δὴ πρὸ τοῦ πολεμεῖν φανερῶς συναγωνίζεσθαι Φιλίππῳ κτἁ.* cf. etiam 14, 13; 19, 61 et 164; 21, 124.

Enuntiata relativa fere innumerabilia inserta sunt, alia quoque enuntiata secundaria saepe intexta inveniuntur, velut *ὡς·οὕτως* 18, 2 *τὸ τῇ τάξει καὶ τῇ ἀπολογίᾳ, ὡς βεβούληται καὶ προῄρηται τῶν ἀγωνιζομένων ἕκαστος, οὕτως ἐᾶσαι χρήσασθαι.* *ὡς* c. ind. fut. 19, 61 et 333; *ὅτε* 18, 86; *εἰ* 39, 1; *ἐάν* 16, 11; *ὥστε* 23, 7 *εἰ μὲν οὖν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι τοῦτο μέγιστον Ἀριστοκράτης ἠδίκει, τὸ τοιούτου, οἷον ἐγώ φημι δείξειν τὸν Χαρίδημον ὄντα, τοσαύτην πεποιῆσθαι πρόνοιαν ἐν τῷ ψηφίσματι ὥστε ἰδίαν παρὰ τοὺς νόμους, ἐάν τι πάθῃ, τιμωρίαν αὐτῷ δεδωκέναι, ταῦτ᾽ ἂν ἤδη λέγειν πρὸς ὑμᾶς ἐπεχείρουν κτἁ.* cf etiam locum egregium, qui est or. 2. 1.

Iam vero, quod nemo ceterorum temptavit, haud ita raro apud Demosthenem enuntiatum secundarium secundum articulum ipsum collocatum, infinitivus vero cum ceteris verbis postpositus

est, cf. locos breviores or. 6, 2 *τὸ τί χρὴ ποιεῖν συμβουλεῦσαι* et or. 19, 54 *τὸ ταῦτ' εἰ μὴ ποιήσουσιν ὑμᾶς ἐπ' αὐτοὺς ἥξειν*, et exemplum magis extensum or. 19, 44 *ἐκ τοῦ, ὅτε τοὺς ὅρκους ἤμελλε Φίλιππος ὀμνύναι τοὺς περὶ τῆς εἰρήνης, ἐκσπόνδους ἀποφανθῆναι τοὺς Φωκέας ὑπὸ τούτων*, cf. etiam or. 18, 95 (*εἰ*); 19, 68 (*ἐπειδὴ*), maximeque locos, quos infra afferam, or. 20, 148 et 24, 111.

Saepissime complures infinitivi eisdem articuli formis subordinantur, nunquam vero supra quattuor, ac ne hoc quidem plus duobos locis, cf. or. 54, 19 *τοῦ μὴ φόνον γίγνεσθαι μηδὲ κατὰ μικρὸν ὑπάγεσθαι ἐκ μὲν λοιδορίας εἰς πληγάς, ἐκ δὲ πληγῶν εἰς τραύματα, ἐκ δὲ τραυμάτων εἰς θάνατον, ἀλλ' ἐν τοῖς νόμοις εἶναι τούτων ἑκάστου τὴν δίκην, μὴ τῇ τοῦ προστυχόντος ὀργῇ μηδὲ βουλήσει ταῦτα κρίνεσθαι.* cf. etiam 19, 34.

Ex multitudine exemplorum, quibus bini vel terni infinitivi singulis articuli formis subiuncti sunt, primum affero locum qui est or 20, 148, quo enuntiatum infinitivi bipertitum est, ita ut partes particulis *μέν* et *δέ* inter se opponantur, utrique autem parti antecedat enuntiatum secundarium: *ἀλλ' ἐκεῖνόγε οὐχὶ δίκαιον εἶναί φημι, τὸ ὅτε μὲν τούτῳ ταῦτ' ἔμελλεν ὑπάρχειν λαβόντι μηδὲν ἡγεῖσθαι δεινόν, ἐπειδὴ δ' ἑτέροις δέδοται, τηνικαῦτ' ἀγανακτεῖν καὶ πείθειν ὑμᾶς ἀφελέσθαι.*

Inter omnia autem exempla infinitivi c. a. c., quae apud oratores Atticos inveniuntur, amplitudine enuntiatorum articulo subiunctorum maxime excellunt duo, quorum unum est Dem. or. 19, 55 *τὸ γὰρ πρὸς ἄνδρα θνητὸν καὶ διὰ καιρούς τινας ἰσχύοντα γράφοντας εἰρήνην ἀθάνατον συνθέσθαι τὴν τῆς πόλεως αἰσχύνην, καὶ ἀποστερῆσαι μὴ μόνον τῶν ἄλλων ἀλλὰ καὶ τῶν παρὰ τῆς τύχης εὐεργεσιῶν τὴν πόλιν καὶ τοσαύτῃ περιουσίᾳ χρήσασθαι πονηρίας ὥστε μὴ μόνον τοὺς ὄντας Ἀθηναίους ἀλλὰ καὶ τοὺς ὕστερόν ποτε μέλλοντας ἔσεσθαι πάντας ἠδικηκέναι, πῶς οὐχὶ πάνδεινόν ἐστι;*

Alterum legitur or. 24, 111, *θαυμάζω δ', ὦ ἄνδρες δικασταί, τῆς ἀναιδείας αὐτοῦ τό, ἡνίκα μὲν ἦρχεν αὐτὸς μετ' Ἀνδροτίωνος, τὸν ἔλεον τοῦτον ἐπὶ τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ μὴ ποιήσασθαι, τῷ ἀπειρηκότι τὰ ἑαυτοῦ χρήματ' εἰσφέροντι, ἐπειδὴ δ' Ἀνδροτίωνα ἔδει ἃ πάλαι ὑφῄρητο τῆς πόλεως χρήματα καταθεῖναι, τὰ μὲν ἱερὰ τὰ δ' ὅσια, τότε θεῖναι τὸν νόμον ἐπ' ἀποστερήσει τῶν μὲν ὁσίων τῆς διπλασίας, τῶν ἱερῶν δὲ τῆς δεκαπλασίας.* Omnibus autem his quos attuli locis quamvis longa et extensa sint infinitivi enuntiata, numquam tamen rotunditate quadam et perspicuitate carent, immo et sententiarum vigore ac gravitate et apta ac concinna membrorum forma et arto eorum connexu in legendo sic abripimur, ut vix sentiamus enuntiata paullo longiora esse quam solent.

Hanc grandiloquentiam neque Aeschines, quamvis splendide, nec Lycurgus, quamvis graviter, neque Hyperides, quamvis venuste et facete disseruerit, nec Dinarchus unquam assecutus est.

Aeschines in infinitivi c. a. c. enuntiatis ambitum tredecim verborum non excedit, cf. or. 3, 53 quo loco uni infinitivo enuntiatum bipertitum subordinatum est *τὸ δοκεῖν μὲν ἀληθῆ λέγειν, ἀρχαῖα δὲ καὶ λίαν ὁμολογούμενα*, et or. 1, 139 *τὸ δ' ἐπακολουθεῖν καὶ ἐφορᾶν* et or. 3, 80 *διὰ τὸ μὴ μόνον πρεσβεύειν, ἀλλὰ καὶ τὰ ψηφίσματα γεγραφέναι*, quibus locis bini infinitivi a singulis articuli formis dependent, et or. 2, 103, ubi tres inveniuntur *τὸ μὲν γὰρ τοὺς ὅρκους ἀπολαβεῖν καὶ περὶ τῶν ἄλλων διαλεχθῆναι καὶ περὶ τῶν αἰχμαλώτων εἰπεῖν κτὰ.*

Lycurgi cf. § 15, ubi enuntiatum infinitivi in tria membra divisum est *τῷ πρός τε τοὺς θεοὺς εὐσεβῶς καὶ πρὸς τοὺς γονέας ὁσίως καὶ πρὸς τὴν πατρίδα φιλοτίμως ἔχειν κτά.* et § 9, 67, 147, ubi bini infinitivi ab articulo dependent.

§ 9 *διὰ τὸ μήτ᾽ ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις γεγενῆσθαι τοιοῦτον μηδὲν μήτε ἐν τοῖς μέλλουσιν ἐπίδοξον εἶναι.*

§ 57. *τοῦ παρασχεῖν τὸ σῶμα τάξαι τοῖς στρατηγοῖς καὶ τοὺς ἐπιόντας ἀμύνασθαι μεθ᾽ ὑμῶν μαχόμενος.*

§ 147. *τοῦ τὰ τεμένη τέμνεσθαι καὶ τοὺς νεὼς κατασκάπτεσθαι.*

Apud Hyperidem unius infinitivi enuntiatum amplius exstat or. 4, col. 2, 4 *τὸ προελέσθαι ὅμοια καὶ ἔτι σεμνότερα καὶ καλλίω τῶν πρότερον αὐτῇ πεπραγμένων.* Bini infinitivi leguntur or 1, col. 37, 3; 2, col. 16, 10; 3 col. 43, 27.

or. 1, col. 37, 3 *τὸ μὲν κατηγορεῖν ἐν τῷ δικαστηρίῳ καὶ ἐξελέγχειν τοὺς εἰληφότας τὰ χρήματα καὶ δεδωροδοκηκότας κατὰ τῆς πατρίδος ἡμῖν προσέταξεν.*

or. 2, col. 16, 10. *ὑπὲρ τοῦ ἐξορισθῆναι καὶ ἀποθανόντα μηδὲ ἐν τῇ πατρίδι ταφῆναι.*

or. 3, col. 43, 27. *τοῦ προσέσθαι τινὰ τοιοῦτον λόγον ἢ τῶν ἀλλοτρίων ἐπιθυμεῖν.*

Dinarchus uno loco, qui est or. 1, 44, tria enuntiata infinitivi c. a. c. longiora formavit, *ἢ τὸ ποιῆσαι πολίτας ὑμῖν Χαιρέφιλον καὶ Φείδωνα καὶ Πάμφιλον καὶ Φείδιππον, ἢ πάλιν Επιγένην καὶ Κόνωνα τοὺς τραπεζίτας; ἢ τὸ χαλκοῦς ἐν ἀγορᾷ στῆσαι Βιρισάδην καὶ Σάτυρον καὶ Γόργιππον τοὺς ἐκ τοῦ Πόντου τυράννους, παρ᾽ ὧν αὐτῷ χίλιοι μέδιμνοι τοῦ ἐνιαυτοῦ πυρῶν ἀποστέλλονται, τῷ οὐδ᾽ ὅποι καταφύγῃ αὐτίκα φήσοντι εἶναι; ἢ τὸ γράψαι Ταυροσθένην Ἀθηναῖον εἶναι τὸν τοὺς μὲν αὐτοῦ πολίτας καταδουλωσάμενον, τῆς δ᾽ Εὐβοίας ὅλης μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ Καλλίου προδότην Φιλίππῳ γεγενημένον;* (Supplendum est *προῖκα τοῦτον οἴεσθε γράψαι*).

Nec rhetores Demosthenem aequant, quamvis laborent, maius vero etiam discrimen est inter illum et orationum pseudo-Demosthenicarum scriptores. Sed satis sint haec de forma enuntiatorum infinitivi c. a. c.

Tertium mihi proposueram ad quaerendum, quomodo oratores infinitivo c. a. c. ad periodos componendas usi essent. Sed, ne spatium huic commentariolo concessum transgrediar, pauca de hac quaestione magis in universum monebo.

Oratores Attici cum complexiones sententiarum maiores, quas periodos vocamus, arte quadam et ratione formare inciperent, optimum sine dubio adiumentum infinitivi c. a. c. structuram habebant. Cuius ope primum sententiae magni ambitus in unius substantivi ordinem redigi substantivisque coordinari potuerunt. Quod cum apud ceteros invenitur, tum maxime Isocrati et Demostheni in deliciis est, cf. exempli causa Isocr. 7, 53. *οὐ γὰρ ἐκ τῶν πομπῶν οὐδ᾽ ἐκ τῶν περὶ τὰς χορηγίας φιλονεικιῶν οὐδ᾽ ἐκ τῶν τοιούτων ἀλαζονειῶν τὴν εὐδαιμονίαν ἐδοκίμαζον, ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ σωφρόνως οἰκεῖν καὶ τοῦ βίου τοῦ καθ᾽ ἡμέραν καὶ τοῦ μηδένα τῶν πολιτῶν ἀπορεῖν τῶν ἐπιτηδείων.* cf. etiam 2, 2; 11, 18, innumerabiles alios locos.

Demosthenis cf. or. 18, 125 *οὐ δ᾽ ἐγὼ μὲν ἀθῷος ἅπασι, τοῖς νόμοις, τῷ χρόνῳ, τῇ προθεσμίᾳ, τῷ κεκρίσθαι περὶ πάντων πολλάκις πρότερον, τῷ μηδέποτε ἐξελεγχθῆναι μηδὲν ὑμᾶς ἀδικῶν, κτλ., ἐνταῦθα ἀπήντηκας;*

Iam vero permulta enuntiata a coniunctionibus dependentia facile in constructiones infinitivi c. a. c. mutari possunt, velut *διὰ τὸ* pro *ὅτι*, *πρὸ τοῦ* pro *πρίν*, *τεκμήριον τοῦ* c. inf. pro *τεκμήριον ὅτι* alia similiter dici possunt. Quodsi ambitus enuntiatorum plerumque idem fere est, sive infinitivus sive coniunctio ponitur, tamen enuntiato intercalari inserto artior connexus interrumpitur, infinitivi usu sententia astricte cum enuntiato primario coniungitur atque adeo in partem eius redigitur.

Sed haec, quamquam haud contemnenda sunt in periodis formandis, tamen magis latent, sunt autem multae periodi apud oratores Atticos, quarum forma ac ratio tota fere infinitivi c. a. c. usu nitatur. Praecipue in iis, quarum subiectum constat ex infinitivo vel uno vel compluribus, articuli usus summi momenti est. cf. locum, quem pag. 7 attuli, Isocr. 13, 16, quo si articulum *τό* omitteres, omnia dilaberentur, nunc autem una vocula brevissima omnes illi infinitivi ita comprehenduntur, ut unum periodi membrum efficiant atque uno conspectu perlustrari possint.

Plurimum autem valet infinitivi c. a. c. usus in periodis antitheticis, quae dicuntur, i. e. iis, quae ex binis vel pluribus membris particulis *μέν-δέ* oppositis constant. Saepissime utrumque membrum infinitivo c. a. c. incipit, nec solum nominativi (*τὸ μέν-*, *τὸ δέ-*) usui sunt, sed quilibet casus vel absolute positi vel a praepositionibus dependentes. Quarum periodorum liceat mihi unum etiam exemplum atque id praeclarissimum proponere, quod legitur Dem. or. 19, 325 sq. *καὶ γάρ τοι παραχρῆμα ἀντὶ μὲν τοῦ Θεσπιὰς καὶ Πλαταιὰς ἰδεῖν οἰκιζομένας, Ὀρχομενὸν καὶ Κορώνειαν ἠκούσατε ἠνδραποδισμένας. ἀντὶ δὲ τοῦ τὰς Θήβας ταπεινὰς γενέσθαι καὶ περιαιρεθῆναι τὴν ὕβριν καὶ τὸ φρόνημ' αὐτῶν, τὰ τῶν συμμάχων τῶν ὑμετέρων Φωκέων τείχη κατεσκάπτετο· Θηβαῖοι δ' ἦσαν οἱ κατασκάπτοντες, οἱ διοικισθέντες ὑπ' Αἰσχίνου τῷ λόγῳ. ἀντὶ δὲ τοῦ τὴν Εὔβοιαν ἀντ' Ἀμφιπόλεως ὑμῖν παραδοθῆναι, ὁρμητήρια ἐφ' ὑμᾶς ἐν Εὐβοίᾳ Φίλιππος προσκατασκευάζεται καὶ Γεραιστῷ καὶ Μεγάροις ἐπιβουλεύων διατελεῖ. ἀντὶ δὲ τοῦ τὸν Ὠρωπὸν ὑμῖν ἀποδοθῆναι, περὶ Δρυμοῦ καὶ τῆς πρὸς Πανάκτῳ χώρας μεθ' ὅπλων ἐξερχόμεθα, ὅ, τέως ἦσαν Φωκεῖς σῷοι, οὐδὲ πώποτ' ἐποιήσαμεν. ἀντὶ δὲ τοῦ τὰ πάτρια ἐν τῷ ἱερῷ κατασταθῆναι καὶ τὰ χρήματα εἰσπραχθῆναι τῷ θεῷ, οἱ μὲν ὄντες Ἀμφικτύονες φεύγουσι καὶ ἐξεληλανται, καὶ ἀνάστατος αὐτῶν ἡ χώρα γέγονεν, οἱ δ' οὐ πώποτ' ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ γενόμενοι, Μακεδόνες καὶ βάρβαροι, νῦν Ἀμφικτύονες εἶναι βιάζονται.*

Tantus ardor dicendi, quantus in hac quam attulimus periodo multisque id genus similibus viget, unius Demosthenis est, sed etiam aequales eius maiore cum arte infinitivo c. a. c. ad periodas condendas usi sunt quam priores, velut Thucydides et Antiphon. Sed accuratius haec explicare, aliud in tempus mihi est differendum.